

Stephanus Galdeti

*Responsio Augustinensis
de perfectione specierum*

Editor: Alexandra Baneu

work in progress
12.08.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| **Responsio Augustinensis de perfectione specierum**

Utrum a primo necesse duo entia specie differentia equaliter ad ipsum se habentia possint in esse poni.

Hec questio inter cetera supponit primi ad inferiora habitudinem et econverso. Et querit utrum duo entia specie differentia etc. possint poni sub equali habitudine. Et ideo quia huius habitudo videtur dicere distantiam quandam et excessum perfectionalem et ordinem, ideo pro presenti tria sunt videnda.

Primum erit de distantia et excessu primi ad inferiora.

Secundum erit de excessu perfectionali et distantia inferiorum inter se.

Tertium erit de ordine inferiorum ad primum.

Quoad primum sit ista conclusio: quantum primum est in esse tantum perfectionaliter excedit quodlibet creatum esse. Probatur: primum excedit se toto quidquid excedit, igitur. Consequentia clara. Antecedens patet, cum sit supersimplex et indivisibilis.

Corollarium primum, quod immense excedit quodlibet creatum esse.

Secundum, quod inter primum necesse esse et supremum de facto creatum esse sunt sine fine factibilia alia creatura esse.

Tertium: a primo necesse esse non est factibile supremum creabile esse. Hec patent ex conclusione.

Quoad secundum quod est de excessu perfectionali et distantia inferiorum inter se sit hec conclusio: licet de facto aliquae species sint || immediate, tamen inter quaslibet species iam productas possunt infinite produci. Quoad primam partem patet, quoniam inter speciem hominis et angeli nulla est media. Secunda pars patet, quoniam excessus unius speciei super aliam est divisibilis, igitur secundum quantitatem continuam ymaginabilis, igitur secundum puncta huius quantitatis producibiles sunt species perfectiores et minus perfecte, et ita, cum huius puncta sint infinita, sequitur propositum. Ista conclusio est domini Egidii 3, questione 5, et intelligitur de speciebus absolutis specialissimis.

P2 39r

1 responsio — specierum] *in marg. sup. P1* 2 primo] esse *add. sed del. P2*
9 primum] primum videndum *add. in marg. P1* 10 secundum] tertium *add. in marg. sed del. P1* de] x *add. sed del. P2* (*in nota 10 de*) x] *dub. P2*
12 tertium] *add. in marg. sed del. P1* 13 quoad primum] prima conclusio de primo *add. in marg. P1* 15 clara] et *add. sed del. P2* 17 corollarium primum] corollaria tria *add. in marg. P1* 19 creatura] creata *P2* 22 quoad secundum] secundum videndum *add. in marg. P1* 23 conclusio] conclusio secunda *add. in marg. P1* 24 productas] producte *P2* 26 nulla] *p. c. P2*
29 species] *om. P2*

Ex hac sequitur quod perfectio specifica non est ad modum numeri omnimode estimanda.

Secundo sequitur quod species superior quodammodo infinite excedit inferiorem, quia per totam multitudinem producibilium inter ipsas.

5 Tertio sequitur quod non plures sunt producibiles inter primum et non gradum quam inter secundas species.

Quoad tertium sit conclusio ista: tanta est habitudo creatoris vel creabilium ad primum quanta est ipsorum actualis vel possibilis perfectio intrinseca. Ista probatur, nam tanta est huius habitudo quantum
10 participant vel participare possunt perfectionem primi, sed quantum participant tanta est eorum perfectio intrinseca actualis et quantum participare possunt tanta est eorum perfectio possibilis, igitur etc.

Ex hac sequitur quod si primum tantum esset communicabile ad extra per gratiam quantum ad intra per participationem, habitudo
15 una non esset intensior nec remissior quam alia, et ita utraque esset immensa.

Secundo sequitur quod impossibile est duas species equaliter se habere ad primum, quia impossibile est duas species esse eque perfectas intrinsece.

20 Ex hoc ulterius et finaliter sequitur pars negativa questionis. Pro hac parte est Magister IACOBUS DE VITERBIO 1, questione 2, articulo 3.

Hec de ista positione. Et similibus sufficiant pro forma.

1 ex hac sequitur] corollaria *add. in marg. P1* 3 excedit] superio *add. sed del. P2* 7 quoad tertium] tertium videndum *add. in marg. P1* conclusio] tertia conclusio *add. in marg. P1* 10 perfectionem] *om. P2* 13 ex hac sequitur] *add. in marg. P1* 17 species] esse eque perfectas intrinsece *add. sed del. P1* 20 sequitur] part *add. sed del. P2* 21 magister] ia *add. sed del. P2*